



Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata, Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus, Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curix forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. III. De judice, & foro competente, vel incompetente; Aut de illo, majoris, vel minoris competentix, in concursu plurium æquè competentium; Et de judice recusabili, vel non recusabili ratione ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74090)

folia juris assistentia absque possessionis saltem ad-
 miniculativa justificatione, in parte, que in habente
 causam universalem sufficit, ad id admittitur, eo mo-
 do, quo in jurisdictionibus, in quibus videtur spe-
 ciale, ut in suis respectivè rubricis, vel discursibus
 inferius magis distinctè advertitur. *Disto disc. 1. &
 seqq. de jurisdictione. & infra in eo discursu, in quo agi-
 tur de hoc possessorio.*

Adeoque procedit dicta regula generalis, quod
 cessantibus limitationibus, ut supra. illi, qui actoris
 personam gerit, perfecta, & concludentis proba-
 tionis onus incumbit, ut receptum sit, id procedere
 etiam in beneficiis, quæ de sui natura sine titulo
 non obtinentur. *tit. de benefico. disc. 22. & in aliis.*
 Quamvis in prophanis, quæ pariter sine titulo ob-
 tineri non possunt, ut sunt officia, aliaque regalia
 ob nimiam resistantiam, id patitur difficultates
 juxta varios regionum, vel principatum stylos;
tit. de Regal. disc. 14. Eademque regula de actore non
 probante generaliter procedit, quamvis agatur de
 negativa, in qua ejus intentio fundata sit, quoniam
 ista quoque concludenter justificanda est, illis casibus
 exceptis, in quibus ob assistentiam juris com-
 petat actio negatoria, ut supra, *Buratt. & add. dec.
 10. & 948. dec. 55. p. 5. rec. & passim.*

Atque in ijs, quæ sunt intentionis actoris fun-
 damentum, non admittitur probatio præsumpta,
*Add. ad Gregor. dec. 53. dec. 20. 2. n. 4. p. 5. rec. & sæpius
 in omni pene materia.*

In reliquis autem, regula generalis est innixa æ-
 qualitati, quam lex inter colligantes in judiciis
 servandam esse disponit, ut Actor, & Reus ad im-
 paria judicari non debeant, eorumque conditio de-
 beat esse æqualis, unde propterea privilegium, vel
 quasi, quod uni eorum competat, alteri commune
 efficitur, ut (exempli gratia) habetur infra in appella-
 tionum rubricis, seu discursu in proposito. *Ægi-
 diana, quod si actor sit clericus, vel alias Ægidiana
 non subditus, id reo quoque suffragabitur, & è
 converso, cum similibus. Infra in discursu, in quo agi-
 tur de appellatione.*

Ea tamen inter Actorem, & Reum præ cæteris
 inæqualitas quoque dignoscitur, circa dilationes
 quæ Reo de jure competunt. Actori vero negan-
 tur; Ex ea differentie ratione, quod Actor unire
 debet ad causam instructam, quod Reo objici non
 potest, *Caput. q. dec. 15. p. 1. & infra. Prout e-
 iam circa litis introductionem, vel initiationem
 aliqua notabilis differentia dignoscitur inter Acto-
 rem, & Reum, ut inferius agendo de litis introdu-
 ctione advertitur, infra disc. 7. cum similibus, de
 quibus in progressu juxta singulos respectivè effe-
 ctus, vel singula judicia, seu remedia de quibus par-
 ticulariter agitur.*

In eadem tamen persona materiali eademque li-
 te, seu causa, utriusque persona formalis, Actoris
 & rei concursus, pro diversitate respectuum, rectè
 dari potest, quia nempe ratione reconventionis, seu
 alias coram eodem Iudice, & in eodem processu,
 duplex cumuletur judicium, in quorum uno quis
 sit Actor, & in altero Reus, & è converso *Merlin.
 decis. 350. repetit. decis. 170. p. 5. rec. Goncin. decis.
 1380. cum aliis in universa hac judiciali, seu pra-
 ctica materia inferius desumendis.*

Demum recepta est regula generalis occasione
 judicij possessorij retinenda sæpius enunciata, præ-
 fertim in materia pensionum Ecclesiasticarum alia-
 rumque præstationum etiam contra successorem,
 quod judicium est metiendum ex persona Acto-
 ris, non autem Rei *infra in eo discursu, in quo agitur*

de manutentione, & sub tit. de pension. & alibi sæ-
 pius.

De iudice, & foro competente; vel
 incompetente; Aut de illo majoris
 vel minoris competentie, in con-
 cursu plurium æquè competen-
 tum; Et de iudice recusabili, vel non
 recusabili ratione suspicionis; Ac eti-
 am de iudice ordinario & delegato.

SUMMARIVM.

- 1 De quo iudice hic agatur, & ad quid.
- 2 Alter est ordinarius, & alter delegatus.
- 3 Quis dicatur ordinarius, vel ecclesiasticus.
- 4 De iudice Ordinario fori laicalis.
- 5 Qualem potestatem habeat iudex ordinarius.
- 6 Alia est jurisdictio in dominio & alia in exercitio; ut
 in Baronibus.
- 7 Episcopi habent in dominio, & in exercitio, & de ex-
 equatione Episcoporum, & Baronum.
- 8 De Vicario Generali, & Vicariis foraneis, eorumque
 jurisdictione.
- 9 Episcopus aut teneatur habere vicarium.
- 10 De antiquis Archidiaconis, & Archipresbyteris.
- 11 Distinguantur iudices fori ecclesiastici, & laicalis.
- 12 Etiam in eodem foro iudices civiles, & criminales.
- 13 Qui sint iudices ordinarii Curie Romanae.
- 14 Rota est iudex ordinarius, sed singuli Auditores dele-
 gati.
- 15 Quid de Sacris Congregationibus Cardinalium.
- 16 De delegatis ad universitatem causarum & ad cau-
 sas particulares respectivè.
- 17 Episcopi seu locorum ordinarii, sunt Ordinarii, &
 delegati diversis respectivè.
- 18 Quando iudex Ordinarius fiat delegatus ex super-
 veniente commissione, vel rescripto.
- 19 Memoriale non tribuit jurisdictionem.
- 20 Stylus est interpretis voluntatis Principis.
- 21 Quid referat ut Ordinarius efficiatur delegatus.
- 22 Delegatus particularis debet docere de delega-
 tione, eamque in citatione inferere, quod limi-
 tatur.
- 23 Delegatio strictè intelligenda est & non extendi-
 tur.
- 24 Iudex ordinarius revocat sententiam propriam diffi-
 nitivam ex capite nullitatis, quod non facit delega-
 tus.
- 25 Executor litterarum Apostolicarum si nulliter pro-
 cedit non potest denuò valide procedere.
- 26 De incompetencia etiam habituali, vel de actuali
 tantum.
- 27 Iudex laicus cum clerico est incompetens habitu, &
 non est prorogabilis.
- 28 An Episcopus possit committere laico causas ecclesi-
 asticas, vel spirituales.
- 29 Prorogatio partium non dat jurisdictionem habitu
 deficientem.
- 30 An compromissum in causis ecclesiasticis fiat in laico
 cum.
- 31 De causis spiritualibus etiam inter laicos.
- 32 De casibus in quibus iudex laicus procedit in causis
 clericorum.
- 33 De iudice incompetente cuius jurisdictio sit proroga-
 bilis.
- 34 Auditor Camera extra Curiam non procedit in pri-
 ma instantia.

- 35 Prorogatio jurisdictionis iudicis incompetentis fieri non potest in praedictum tertii.
- 36 Notarius petiti remissionem causa in prima instantia non obstante consensu partium.
- 37 De majori competentia inter plures aequè competentes
- 38 Iudex loci administratoris habet majorem competentiam privativè.
- 39 Neque suffragatur privilegium miserabilium personarum seu Augemiane circa redditionem rationum.
- 40 Forus loci delicti vincit alios.
- 41 In pari concursu competentia attenditur preventio.
- 42 Quando ille iudex coram quo causa est preventa trahat omnes alios ad se.
- 43 Idem ratione connexionis, & praedictualitatis.
- 44 De iudice civili inibente criminali, & è contrà.
- 45 Pendente iudicio universali silet particulare.
- 46 Iudices secunde instantia non se ingerunt in causis prime instantia.
- 47 De privilegio electionis fori miserabilium personarum.
- 48 Obligatio cameralis tribuit electionem fori.
- 49 De privilegio eugemiane.
- 50 De apprehensis in Urbe.
- 51 Non possunt apprehendi Episcopi venientes ad visitandum limina.
- 52 De iudice competente Cardinalium.
- 53 Episcopi non processantur nisi de commissione Papa.
- 54 De ordine servando inter iudices appellationis.
- 55 De materia appellationis remissivè.
- 56 An & quando Episcopus sit suspectus & incompetens vel recusari possit in causa eius Ecclesia vel Mensa.
- 57 Quae propriè dicatur pars interessata in causa.
- 58 Principes supremi sunt iudices in causa propria, & quomodo.
- 59 Episcopus non iudicat in causis Ecclesia non audito promotore fiscali.
- 60 Coram quo iudice agatur de causa devolutionis vel caducitatis feudi.
- 61 Fiscus non litigat manibus vacuis.
- 62 Auctor laudatus seu defensor necessarius non declinat forum, sed fallit in fisco.
- 63 An & quando Ordinarius vel respectivè delegatus recusetur tanquam suspectus.
- 64 De stylo Curiae Romanae etiam in suspitione iudicis ordinarii.
- 65 Non datur recusatio post consensum.
- 66 Quando dicatur adesse consensus.
- 67 Quare Advocati curiae Romanae non soleant tractare de causis suspitionum & de stylo iudicibus, qui libenter abstinent.
- 68 An Cardinales qui sint Episcopi interveniant in Congregationibus quando agitur de eorum causis.
- 69 Quae regula dari potest in materia recusationis ob suspitionem.
- 70 De suspitione Ordinarii ad materiam C. ad haec.
- 71 Iudex legitime recusatus nulli procedit.
- 72 De pluralitate personarum formalium in una persona materiali, ut competentia ratione unius persona non intret quo ad aliam.
- 73 De quibus questionibus vel propositionibus in hac materia iudicis competentis agatur.
- 74 Ordinarius, vel dioecesanus habet in suo territorio intentionem fundatam in causa universali.
- 75 De jurisdictione in personas vel ratione causarum alias quam ratione territorii.
- 76 De iudicibus particularibus artium, vel collegiorum, seu piorum locorum.
- 77 De exemptione regularium, aliorumque exemptorum, & quando Ordinario subjaceant.
- 78 Exemptio à jurisdictione non tollit reverentia.
- 79 De prætensione subditorum ne trahi possint extra proprios lares, ac alibi eorum causa iudicari.
- 80 Quando etiam non subditus fiat subditus.
- 81 De casu in quo superior vel dignior, sit subditus suinferioris, nempe Metropolitanus sit subditus suffraganei.
- 82 Clericus in minoribus an & quando dimisso clericatu remaneat subditus Episcopi.
- 83 De competentia iudicis laici cum clericis conjugatis, & cum laicis familiaribus Episcopi vel Cardinalis, & quando etiam in causis clericorum.
- 84 Quid de militibus ecclesiasticis, vel de confraternitatibus, & locis piis, vel de conservatoriis mulierum.
- 85 De privilegio fori militaris.
- 86 An haeres legetur foro defuncti.
- 87 De foro rei litae.
- 88 Si hereditas habeat bona in diversis locis, quis sit iudex ejus competens.
- 89 De privilegio electionis fori viduarum, & pupillarum.
- 90 An privilegiatus variando forum electum resciat expensas.
- 91 A.C. non est iudex in causis beneficalibus, & quando.
- 92 Quid in causis matrimonialibus.
- 93 Quomodo iudices Romanae Curiae se declarent competentes.
- 94 Diversitas iudicium non diversificat iudicem.
- 95 De aliis ad materiam praesertim recusationis.
- 96 De iudice literato, vel illiterato.

DISC. III.

Altera persona, ex qua iudicium constituitur, ultra illas Actoris, & Rei, est illa iudicis, super cujus declinatione, frequentes esse solent quaestiones initio causae, vel etiam ea finita, sive instructa, super gestorum invaliditate ex defectu jurisdictionis, quae una ex tribus substantialibus nullitatibus reputatur.

De qualitatibus, quibus Iudex praeditus esse debet, in praesenti, utpote extra propositum, non agitur, aliquid verò insinuat in relatione Curiae, occasione agendi de Rotae Romanae Auditorio, in quo ex ibidem insinuatibus rationibus, generalis Iudicis idea efformatur, pleraque in hoc bene observat idem practicum magister Robertus Maranta in praxi, vel specul. & Valasc. in suo tract. de iudice perfecto. In praesenti etenim, de iudicis competentia, vel recusabilitate agitur pro his, quae ad causam vel iudicii validitatem pertinent pro forensi praxi.

Quatenus itaque ad primam inspectionem pertinet, super iudicis qualitate, vel jurisdictione; Agendo de quocunque iudice in genere, sive sit in prima, sive in quacunque alia ulteriori instantia; Duplex est iudicis species. Alius enim dicitur Ordinarius. Alius verò delegatus.

Ordinarius est ille, qui sive ad tempus praefinitum, sive perpetuò ad vitam, vel ad nutum, pro diversis locorum stylis, deputatur ab habente potestatem ad exercendum in eo loco cum quibuscumque subditis genericam jurisdictionem in quibuscumque causis, quae sub jurisdictione vel potestate deputantis cadant, ita representando Iudicem vel Correctorem loci in universum; Ut (agendo de foro ecclesiastico) sunt Episcopi, eorumque Vicarii generales, quibus propterea Ordinariorum nomen in iure canonico tribuitur; Ac etiam ad instar, sunt alii Praelati inferiores, qui Nullius dicuntur; Sive sunt illi Praelati, qui in aliquo loco, vel parte territorii seu dioecesis, quae suam habeat Episcopum, ex privilegio Apostolico, vel praescriptione, plenam, quasi

quasi Episcopalem jurisdictionem habent cum illius loci clero, & populo, vel cum certo genere personarum, ut frequens praxis ubique docet in *Prælati regularibus intra propria septa. De pluribus Prælatorum, & Superiorum speciebus lib. 3. de jurisdict. disc. 1. cum plur. seqq. & lib. 14. in Miscellan. Eccles. disc. 1.*

4 Et respectu fori laicalis, sunt illi, qui Civitatum vel locorum Judices vel Correctores deputantur, quibus pro diversis regionum styliis, diversa vocabula congruunt; Alicubi enim vocantur Gubernatores; Alicubi potestates; Alicubi Capitanei; Alicubi Judices, & alicubi Correctores, &c.

Isti enim utriusque fori Judices respectivè, restrictionem aliquam non habent, sed sunt Judices in universo territorio cum omnibus illi foro subjectis, tanquam per speciem jurisdictionis universalis, ac nativè, quæ competat in genere personæ formalis Judicis loci, quam illa persona materialis, juxta præfinita tempora representat; Ideoque sibi assignat regulam, seu causam universalem in omnibus iis, quæ in jure excepta non reperiuntur.

Non omnis autem competentia jurisdictionis universalis, vel juris territorialis, aliquem Judicem constituit, sed requiritur competentia exercitii, pro quo potius, quam pro habitu sit deputatus; Illi siquidem, qui jurisdictionem temporalem habitu habent, non sunt Judices, sed Domini, vel supremi Magistratus, & exempli gratia sunt Barones, & feudatarii, vel Domicelli, habentes universalem jurisdictionem in loco cum iure territoriali, quoniam illam habere dicuntur iure domini, non autem iure iudicis, sive, (ut alii dicunt,) in habitu non autem in exercitio, quoniam ipsi deputant iudicem, sed non iudicant.

Secus autem est in foro ecclesiastico, quoniam licet Episcopi, qui comparativè ad Papam, quodammodo Barones, ac Domini locorum videntur, eodem modo, quo in foro laicali sunt Barones & Domicelli comparativè ad supremum Principem *de ista comparatione lib. 3. tit. de præminent. disc. 26.* deputare soleant pro communi usu Vicarium generalem pro universa diocesi, qui cum ipso, unum & idem tribunal constituit, nec non Vicarios foraneos in singulis locis particularibus, vel etiam pro aliquibus partibus, seu regionibus diocesis, cum majori, vel minori facultate pro indigentia, vel usus *tit. de jurisdict. disc. 22. & seqq.* Attamen sunt etiam iudices, ac possunt per se ipsos causas cognoscere, & judicare, neque videntur habere Vicarium, quo carere possunt de iure, quamvis eorum retentio, adeo in consuetudinem generalem abierit, ut pro subditorum communitate, ac meliori diocesis administratione, Sac. Congregatio Episcoporum, & Regularium, eius retentionem præcisè demandare soleat, etiam cum certa qualitate, ut scilicet Doctores, vel Licentiatii saltem in decretis, & non diocesani esse debeant, pro Episcopatum qualitate, ac styliis *lib. 14. tit. miscellan. Eccl. disc. 1. & in annot. ad Conc. Trid.*

10 Antiquitus enim in foro ecclesiastico dabantur quidam Judices ordinarii fixi, sub Episcopo, vel alio Ordinario, quandam nativam jurisdictionem, vel iudicaturam habentes, quales erant Cathedralis Archidiaconus in temporalibus, & Archipresbyter in spiritualibus, verum hodie de communi consuetudine id, recessit ab Aula, cum istorum jurisdictionem exerceat Vicarius generalis, unde propterea hodierni Archidiaconus, & Archipresbyter, ab usivi sunt, potius quam veri. *de præminent. disc. 20.*

Istaque ordinaria iurisdictio universalis, quoad exercitium, divisa esse solet, non quidem per species,

sed per genera non solum ratione diversitatis fori, ut supra, quod scilicet unus est iudex fori Ecclesiastici, vel spiritualis, & alter fori secularis, vel temporalis, seu prophani, dum id non tollit quin eorum quilibet in suo genere sit ordinarius, ac universalis: Sed etiam hæc distinctio cadit in quolibet genere respectivè pro diversitate qualitatis, vel naturæ causarum: Puta inter causas civiles, & criminales eiusdem fori, quod scilicet alter esse solet iudex causarum civilium, & alter criminalium, unde propterea discretivè reputantur duo fori inter se distincti, cum frequentibus controversiis præventionis, ac maioris competentia, adeo ut unus absque alio se non ingerat, sed eorum quilibet in suo genere dicitur ordinarius, ac universalis, dum ordinarii qualitas verè, & propriè, in universitate, seu causa universalis consistit *tit. de jurisdict. disc. 77, 79. & 81.*

Atque id exemplificando in Romana Curia, istamque generalitatem reducendo ad speciem; Ordinarii Judices Romanæ Curia universalis, seu Papæ, uti Papæ, & Episcopi Ecclesiæ universalis, vel uti Patriarchæ occidentis, sunt, Auditor Camera, & Rota, qui sunt etiam Judices ordinarii ad universitatem causarum, Status vel ditionis temporalis Ecclesiæ: Judices autem Ordinarii ejusdem Papæ uti Episcopi, vel etiam Domini temporalis Urbis, eiusque territorii, vel districtus sunt, Vicarius, Gubernator, & Senator Urbis, eorumque respectivè Locum tenentes, vel inferiores officiales, dum istorum iurisdictio limitata est intra Urbis districtum, intra quem sunt iudices ordinarii, sed iurisdictio Rotæ, & Auditoris Camera, eiusque Locum tenentium, est respectivè universalis, ut latius agendo de singulis habetur in relatione Curia, ubi in specie de Tribunali Rotæ, quod sit iudex ordinarius in universum, quamvis singuli Auditores, quibus causa committuntur, dicantur delegati, *infra in relatione Curia agendo de Curia Tribunalibus.*

Et licet moderno tempore, in Curia quadam adsint Tribunalia, cum universitate jurisdictionis Ecclesiastica, vel temporalis respectivè; Puta respectu fori secularis, Congregatio quæ *consulta* dicitur, pro universa ditione temporalis, quæ sub Status ecclesiastici nomine explicatur; Atque respectu fori ecclesiastici sunt pleraque Sac. Congregationes, illa præsertim Episcoporum & Regularium, quæ adversus gravamina Prælatorum, ac Ordinariorum, recursus & querelas admittit, atque super eis providet; Non tamen Judicis ordinarii, sed potius vicarias partes Papæ extrâ formam iudicii gerere dicuntur, ut latius, magisque distinctè in relatione Curia de singulis huiusmodi Congregationibus agendo advertitur, *ibidem agendo de Sacris Congregationibus.*

16 Quo verò ad aliud iudicium delegatorum genus: Illud subdividitur in duas species, quoniam; Alii sunt, qui dicuntur delegati ad certum genus causarum, unde præterea in eo genere universalem causam habere dicuntur, adeo ut comparativè ad delegatos speciales, sive intra illud genus, Ordinariorum speciem redolere videantur, ut puta (exempli gratia) est ubique Procurator Cæsaris, cuius officium hodie in omnibus poenè principatibus explicari solet per quædam Tribunalia, quæ Camera dicuntur, dum eis competit iurisdictio universalis in genere causarum fiscalium, vel aliarum, quæ cum eis connexionem habeant, vel ab eis dependentes, cum similibus; Particulares verò, ac verè, & propriè delegati, quorum occasione, frequentius de delegationis strictâ naturâ, vel operatione disputari solet

folet, sunt illi, quibus per speciale rescriptum, vel commissionem, aliqua causa particularis committuntur; Ut (exempli gratia) in Curia sunt Praelati, vel Cardinales, quibus committuntur causa particularis per specialem commissionem; ac etiam sunt in partibus Iudices synodales, vel Episcopi viciniore, quibus per breve speciale extra Curiam, committi solent causa appellationis ab Ordinariis, vel à Metropolitanis, cum similibus.

Datur etiam quaedam tertia, vel mixta species utriusque, ordinariae, & delegatae jurisdictionis in eodem Iudice vel officiali, seu Praelato; Ut (exempli gratia) post Concilium Tridentinum, sunt Episcopi, alique Ordinarii locorum, quibus in plerisque casibus, supra regulares, aliosque exemptos, per idem Concilium, aliasque Apostolicas Constitutiones, concessa, seu verius restituta est iurisdictio, quae ipsius Apostolicae sedis delegata dicitur; Revera tamen, spectato effectu, etiam in hoc genere Ordinarii sunt; ideoque omnia quae in Iudice ordinario procedunt, in eis quoque locum habent, ita in verbis adjuncto hoc vocabulo delegationis; vel ad praeservanda privilegia exemptiva; vel ut huic jurisdictioni aliquod majus robur tribuatur; Et ne exempti illam declinare valeant; in reliquis autem, quoadmodum procedendi, vel appellandi, nulla inter unius, vel alterius jurisdictionis genus, vel species differentia dignosci videtur, iis casibus exceptis, in quibus per quandam speciem limitationis, specialiter ita provisum sit; ut puta in materia immunitatis ecclesiasticae, super exemptione, à potestate Metropolitana cum similibus. *lib. 1. tit. Miscell. Eccl. dist. 2. & in annot. ad Concil. Trident.*

Cum autem frequenter contingat, quod Princeps, vel supremus Magistratus, cui delegandi causas potestas competat, eisdem Ordinariis Iudicibus, vel Tribunalibus, super aliquibus causis particularibus, commissiones, vel rescripta dirigere soleat; Hinc proinde frequenter disputari contingit, an exinde resultet mutatio naturae, vel qualitatis jurisdictionis, vel iudicis, ut ex ordinario efficiatur delegatus; Id autem varias habet opiniones, pro quarum conciliatione, sive pro huiusmodi controversiarum determinatione, loci stylo, vel observantia in primis deferendum est; Istaque cessante, vel dubia existente, adeo ut per juris trames questio decidenda sit; Ea solet adhiberi distinctio, an scilicet agatur de simplici rescripto Principis, super supplicatione recurrentis, atque ut vulgò in Curia dicitur, per memoriale, Et tunc id nullam importet delegationem, sed solum excitationem ordinariae jurisdictionis, sive momentum, ut iudex administret illam iustitiam, quam ex sui muneris debito administrare tenetur, suae jurisdictionis specie, vel natura non immutata; adeo ut si in ea causa ille, cui hoc rescriptum dirigitur, non sit competens, non per hoc jurisdictionem acquirat, quoniam huiusmodi rescripta per memoriale non tribuunt jurisdictionem, talisque, est Curiae recepta praxis.

Ubi vero sit per viam formalis commissionis in ea forma, in qua delegationes concipi solent, adeo ut commissio directa eis, qui alias non habent jurisdictionem, quam ei tribuat; & tunc proprie intrat questio, quae potius facti, quam juris esse videtur, non de facili recipiens certam ac generalem regulam, cuiusque casui applicabilem, an scilicet per commissionem aliqua communicentur facultates, quae alias non competere; Et an ita commissio concepta sit, ut in universum ille Iudex ordinarius, partes delegati assumat, antiquas vero ordinarii

exuat; vel potius, ut ordinaria jurisdictione continuante, eaque non immutata, delegatio operativa sit quoad illam potestatem tantum, qui alias jure suo non competere. *de ista questione, an Ordinarius per commissionem fiat delegatus apud Bich. decis. 79. nu. final. Barbof. de potestate Episcopi alleg. 92.*

Id autem totum pendet ex singulorum casuum qualitate, & circumstantiis; Fortius verò ex stylo, quoniam stylo est interpretis, ac regulator voluntatis Principis, vel alterius delegantis; *Mantic. decis. 214. Gregor. & add. decis. 150. & saepius insinuat.* Et consequenter, cum sit questio voluntatis, ista defumenda est ex ratione, seu qualitate commissionis, & an ista concedat ea, quae alias non competeant.

Effectus autem, ex unius, vel alterius jurisdictionis genere, vel qualitate resultantes, multi sunt, ex toto huius judicialis materiae progressu, ac singulorum iudiciorum sedibus, vel rubricis defumendi; Ideoque incongrua prolixitas, vel digressio esset illos omnes recensere; Potissimum verò it, qui sunt jam iudices ordinarii, & competentes, istam delegationis qualitatem affectare solent; vel ut ita obtineant sportulas; & propinas, quae in figura iudicis ordinarii non deberentur, ut habetur in sua sede, agendo de huiusmodi sportulis, earumque usu *infra in eo discursu, in quo de sportulis, & propinis agitur.* Vel ut ita non subiaceant inhibitionibus, ac impedimentis ordinariorum iudicum appellationis; Ut in praxi docet praesentio, quam frequenter habent locorum Ordinarii, quibus Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium, negotia remittere solet, in ratione potius excitativa, quam delegativa, ut supra, dum ita praetendunt se eiusdem Congregationis delegatos, & consequenter non subiacere Metropolitanis, vel A. C. Verum contrarium est verius, quoties facti circumstantiae non probent, quod non sit remissio in forma excitatoria, sed vera delegatio super eo, quod ipse alias ex ordinaria eius facultate facere non posset, cum similibus effectibus, quibus eadem ratio congruat.

Posito autem quod agatur de Iudice delegato, ex delegatione particulari (cum delegatio universalis comparativè, ut supra, iure ordinariae potestatis habenda videatur.) Multa resultant differentiae, seu effectus, de quibus in toto hoc iudiciorum progressu; Et praesentim, ut delegatus pro validitate processus, atque ut citatum contumacem reddat, ac successive ad ulteriora procedere valeat, delegationem ponere debet in actis, eandemque citatio denunciare, inserto eius tenore, dum alias ipsum tanquam privatum, omnique iurisdictione carentem, citatus contemnere potest; Nisi facti circumstantiae, delegationis notorietatem inexcusabilem probent; Vel nisi agatur de delegato, qui publice, & palam, procedat in loco residentiae Principis, vel alterius superioris delegantis; Questio cadente, an praesens requiratur in actis delegatio originalis, vel sufficiat transumptum, *de his Anna, & add. alleg. 24. Marant. in prax. par. 3. distinct. 16. Gramat. conf. civ. 24. Rot. dec. 143. par. 2. rec. dec. 264. & 265. par. 7. rec.*

Ac etiam circa strictam, & rigorosam delegationis intelligentiam, seu operationem, tam respectu impeditae extensionis de casu ad casum, vel de persona ad personam, quam vis identitatis rationis accedat, quam etiam circa modum procedendi, dum (exemplificando in Curia) Iudices ordinarii, exceptis diebus in honorem Dei, non subiacent feriis hominum, atque procedunt, in quibus umque diebus, & temporibus, quod facere non possunt delegati,

gati, qui in Curia commissarii appellantur, dum non nisi statutis diebus, ac temporibus procedere possunt, quoties in commissione dispensatio non accedat. *Capucci, in praxi par. 2. cap. 3. num. 62. Bucca de stylo A. C. cap. 30. §. cum itaque.*

Prout etiam, iudex ordinarius propriam sententiam diffinitivam, quæ nullitatis vitio laboret retractare potest, & consequenter in causa iam terminata procedere, non obstante dispositione legis disponentis, ut Iudex postea quam functus est officio suo, non possit amplius in causa se ingerere, quoniam nullum, & nihil parificatur; Ideoque sententia nulla, habetur ad hunc effectum, ac si non esset in rerum natura; Et tamen delegato id denegatur, quoniam si bene, sive malè processerit, illicò delegatio consumpta est, ac expirasse dicitur, ut particulariter inferius habetur, *Vant. de nullit. cap. 3. n. 9. Scaccia de appell. quest. 19. remed. 1. conc. 6. ex n. 73. Merlin dec. 135. & in de alien. & contract. prohib. disc. 1.* Atque hinc manat conclusio, quam habemus in materia alienationis bonorum Ecclesiæ, vel simili, quod si executor deputatus in literis expeditus super beneplacito Apostolico, quod vulgo dicitur *in forma si in evidentem*, malè processerit, non potest amplius se ingerere, ac denudè validè facere id, quod invalidè gesserat *proximò supra*, cum similibus.

Altera quæstio, quæ in persona iudicis cadit, est illa competentie, vel incompetentie, siue circa exceptionem declinationis fori, istaque distinguitur in duplicem speciem; Alia etenim est incompetentia omnimoda, tam actu, quam habitu, adeo ut, neq; de cõsensu sit prorogabilis; & alia est actu tantum habitu, adeo ut, explicita, vel implicita prorogatio, quæ ex partiũ cõsensu resultat, apta sit sanare defectũ

Prima species exemplificatur in Iudice laico respectu clericorum, aliarumque personarum ecclesiasticarum, quoniam est incompetentia omnimoda, actu, & habitu, cum nisi Apostolica dispensatio accedat, partium consensus, vel prorogatio non sufficiat, cum neque violentia clerici, & ecclesiastici, laicali foro se subjacere valeant. *lib. 14. tit. Miscellan. disc. 2. & passim.*

Adeo, etiam Episcopis, aliisque Prelatis, interdicitur sit deputare laicum in Vicarium generalem, siue causas ecclesiasticas, vel spirituales indefinitè, ac prophanas contra clericum committere laico; Nisi tamen laici deputatio, consiliarii, vel assessoris partes potius redeat, cum non prohibeatur laicus esse in hujusmodi causis assessor, quamvis non possit esse Iudex, *Barbos. de Episc. alleg. 54. Pellegrin. de Vicario in princ. num. 4.* Et consequenter etiam si de consensu Partium procederet, nulliter procedere diceretur ex omnimoda carentia jurisdictionis, quam sola prorogatio Partium dare non potest, ubi habitualiter dicit. *Add. ad Gregor. decis. 118. Rovit. pragmat. 2. de jurisdic. invicem non turbant.*

Idque etiam in ratione compromissi, quoties istud de jure fiat; Secus autem si de facto, atque in figura amicabile compositoris; Dummodò exinde non resultet exercitium jurisdictionale, seu publicum laicalis potestatis, cum clericis aliisque personis ecclesiasticis *sub tit. de jurisdic. disc. 7.*

Et quod dicitur de clericis, & personis ecclesiasticis, ut iudex laicus sit cum eis regulariter incompetentis; In laicis etiam procedit, respectu illarum causarum, quæ sint mere ecclesiastica, ac spirituales, Ut (exempli gratia) sunt causæ matrimoniales, vel beneficiales, seu decimales, & similes; Quoties de illarum determinatione, ut juris est, agatur; Secus autem ubi de iis, quæ concernant nu-

dum factum, super quo regionum styliis, ac moribus deferendum videtur? in hac tamen parte facti, nullatenus autem in iis quæ juris sunt.

Adhuc tamen, plures non desunt casus, in quibus laici, se competentes prætentunt, atque de facto procedunt; Puta (ex alibi insinuat) citando clericum ad forum suum, tanquam actorem voluntarium in concursu creditorum, vel alia simili causa; Aut continuando contra eum processum, saltem respectu bonorum, quæ coram eo præventa sint, ante susceptum clericatum; Siue contra possessorem laicum, cui clericus successerit; Vel etiam contra eundem, qui bona à manu eiusdem laici obtinuerit, cum explicita, vel implicita obligatione restituendi ad eius mandatum; Vel super redditione rationum administrationis ab eisdem manibus susceptæ, siue pro aliquorum Tribunalium styliis, ratione reconventionis, cum similibus in jurisdictionali materia deductis *tit. de jurisdic. disc. 58. & seqq. & 94.* Super quibus tamen certa regula generalis cuiusque casui applicabilis non statuitur, neque statui potest, cum regionum, vel Tribunalium styliis deferri solet; Vel quia sic in aliquibus casibus de jure deferendum sit; Vel quia prudentia leges doceant, di simulari, vel tolerari debere id, quod de facto præceteretur. *dicto disc. § 8. & seqq. & disc. 94.*

Altera species incompetentie est, non omnimoda, neque habitualis, sed actualis tantum, unde propterea consensus partium, quoties jus, vel interesse tertii admixtum non sit, jurisdictionis defectum tollere, vel sanare potest, puta ubi agatur, de Iudice eiusdem fori, qui competentiam habet in univèrsum, quia sit Prælati, vel Iudex ecclesiasticus in genere, sed non habet competentiam in specie, ratione ordinis, quia nempe sit Iudex secundæ instantiæ, qui procedere non potest in causis primæ, neque in illis se ingerere; ut (exempli gratia) in Curia habemus de Auditore Cameræ, qui extra Curiam, in causis de partibus nulliter procedit in prima instantia, eo quia est Iudex tantum appellationis *decis. 49 & 54. apud Posthum. de subhasta. decis. 150. par. 4. rec. tom. 2. 181. num. 14. par. 10.* Quoniam si de consensu partium procedat, acta substituentur, cum ad sit jurisdictionis habitualis; Idemque in Metropolitanano, seu Legato, & similibus.

Nisi admixtum sit ius, vel interesse tertii, in cuius præiudicium talis prorogatio fieri non potest, puta iuxta frequentem praxim, quod locorum Ordinariũ, respectu fori ecclesiastici, vel Barones, alique Magistratus respectu fori laicalis, pro eorum iure cognitionis causæ in prima instantia coram ipsis se opponere possunt, atque remissionem causæ petere, non obstante consensu partium, *Rovit. super pragmat. 1. de jurisdic. invicem non turbant. Prat. obser. 2.* Idemque in exemptis, qui in præiudicium Sedis Apostolicæ, vel alterius, cui subiecti sint, non possunt Ordinariũ jurisdictioni, ac potestati subiacere. *decis. 456 & 461. par. 5. rec. Gregor. decis. 325. Cels. decis. 17. & 25.*

Ubi verò, etiam actualis competentia adesset, ex una illarum causarum, quæ illam tribuunt, Originis scilicet; Domicilii; Delicti Contractus, vel destinata solutionis, adhuc tamen intrat quæstio maioris competentie, quæ ratione preventionis, vel ratione connexionis, seu continentie causæ, aut ratione fori magis privilegiati, alteram competentiam vincat, vel suffocet iuxta casuum circumstantias.

Ut puta Iudex loci gestæ administrationis, una Partium

Partium instante, est privativus ad omnes alios Judices, qui competentiam habeant, ratione originis, vel domicilii, illisque inhibet, atque causam ad se trahit, ob maiorem competentiam, Ex ea ratione, quod rationes reddi debent in loco gestæ administrationis, in quo pluribus existentibus iudicibus competentibus, Actoris electio erit, nisi Reus prævenit, cum in hac materia ille, qui rationes reddere tenetur, ac ille, cui reddendæ sunt, correlativi dicantur, adeo ut etiam si ille qui ad rationes reddendas tenetur, & cuius favore principaliter ista privativa fori competentia introducta est, ne cogi debeat libros & rationes transportare, sive cum maiori sumptu, & difficultate parare alibi illas iustificaciones, quæ ibi faciles, ac promptas habet, Huic favori enunciando, alibi eas reddere velit, adhuc exaudiendus non est, eo contradicente, cui reddi debent, nisi quoties, uno, vel altero id petente, facti circumstantiæ talem redoleant æquitatem, quæ iudicis officio, vel arbitrio locum aperiat. *tit. de iurisdic. disc. 73.*

Idque adeo verum, ut neque privilegia suffragentur, etiam clausa in corpore iuris super electione, seu variatione fori, ut est illud viduarum, ac pupillorum, aliarumque similibus miserabilium personarum; Vel sit privilegium particulare, ut est illud, quod vulgò *Eugenianæ* dicitur, quod Curialibus concessum est, cum similibus. *ead. disc. 73.*

Eadem maioris competentia quæstio inter plures æque competentes, intrat in plerisque aliis casibus, in quibus unus privativè ad alios, cognitionem causæ habere debet, quamvis æqualis competentia accederet, ratione identitatis instantia, quia nempe omnes essent ordinarii in eadem prima, vel respectivè in alia ulteriori instantia, adeo ut non intret instantiarum diversitas, quæ, longè diversam habet rationem, ut infra.

Primo nempe ubi forus unius, de iure iudicetur magis privilegiatus, quam ille alterius, ut puta est forus loci delicti, in concursu illorum, originis, & domicilii, adeo ut affectata præventio, quoties nimia negligentia fori privilegiati non accedat, hanc maiorem competentiam non tollat. *ead. tit. de iurisdic. disc. 57.*

Secundo, ubi data in omnibus æqualitate, inter foros scilicet, originis domicilii loci contractus, & loci destinata solutionis &c. accederet legitima præventio coram uno, de cuius iurisdictione habetur infra occasione agendi de litis introductione, *disc. 7.*

Tertio, quando ita exigat causæ universalitas, quæ prohibeat de iure, ut coram pluribus iudicibus, sive in diversis foris agi debeat, ut (exempli gratia, pro frequentiori contingentia,) sunt causæ super concursibus creditorum ad bona, vel ad patrimonium debitoris defecti, ut tunc ille Iudex, coram quo concursus sit introductus, omnes creditores, vel respectivè debitores trahat ad suum forum, quamvis aliàs esset recusabilis, data (ut dictum est) competentia in genere, cum difficultas cadat, quando omnimoda incompetencia in genere deficeret, ut puta in Iudice laico respectu clericis, quoties iste sit possessor, seu aliàs Reus, nisi invitetur tanquam Actor voluntarius ut supra *disc. 58. 60. & 63. & 94. & in alius sub tit. de iurisdic. & in Miscellan. Eccles. lib. 14. disc. 1. & 2.*

Quarto in idem, ubi ratio connexionis causæ, ita suadeat, & ne eius contentia dividatur, cum tunc ille Iudex, coram quo una causæ præventa est,

alias quoque ad se trahat; Unde propterea super huius connexionis, vel contentiæ verificatione, majores quæstiones cadunt, an scilicet verificetur illud connexionis requisitum, quod sententia lata in una causa, parere possit exceptionem rei iudicatæ in altera; Sive quod verificetur alterum requisitum inconvenientis, ut super uno, eodemque puncto, à quo pariformiter utraque causa pendeat, eodem tempore coram diversis iudicibus, diversæ, vel contrariæ sententiæ emanare possint. *disc. 74. & 76. eod. tit. de iurisdic.*

Et quanto ubi adsit iurisdictionum divisio, civilis scilicet, & criminalis, eadem verò causa sit utriusque actionis expertis, atque de facto contingat, quod utraque ad exercitium deducatur, ut exempli gratia, pro frequentiori contingentia, habetur in testamentis, ac etiam quandoque quoad actus inter vivos, in instrumentis & apocis, quod scilicet testamentario, vel creditore coram Iudice civili, hereditatem, vel debitum petente, successerit intestatus, vel debitor super testamenti, vel instrumenti falsitate, criminale iudicium intenet, cum similibus; Tunc etenim, cum de iure, utriusque iudicii æqualis concursus sit prohibitus, sed unum solum faciat alteram, vel in totum, quia una actio alteram perimat, vel ad tempus, ac suspensive, ut unius exitus expectetur; Hinc proinde quæstiones cadunt, an & quando Iudex civilis inhibeat criminali, vel è converso criminalis inhibeat civili, eodem *tit. de iurisdic. disc. 77. 79. & 81.*

Idemque in eodem genere iudicii civilis, disputari solet, inter causam universalem, & causas particulares, ut scilicet pendente iudicio universali, solum debeat particulare, ex eadem ratione connexionis, vel præjudicialitatis; *Buratt. decis. 257. num. 2. & 434. num. 8. & 14. cum declaratione de qua decis. 31. num. 1. & 2. par. 5. rec.*

Procedunt hæc, & similia, data (ut dictum est) coequali competentia, & instantia, puta quia omnes sint pariformiter iudices primæ instantiæ, ubi verò instantiarum diversitas accedat, tunc regulariter iste concursus non intrat, quoniam, tam ex dispositione juris communis, quam clarius in foro ecclesiastico ex illa Sacri C. T. causæ in prima instantia cognosci debent per locorum Ordinarios; Ideoque Metropolitanis, seu Legatis, vel Nunciis, aliisque appellationum, vel recursuum Iudices, etiam in ipsamet Curia Papæ huiusmodi causarum cognitionem non habent; Atque si de facto eam assumerent, tunc altera parte contradicente, vel etiam utraque consentiente, Ipsomet Ordinario, vel alio interestedo se opponente, sibi causa remittenda est, *de iurisdic. disc. 68. & sepius, & lib. 14. in annot. ad Concil. Trident. disc. 33.*

Nisi tales accedant circumstantiæ, quæ huius regulæ limitationem suadeant, (ut exempli gratia pro frequentiori contingentia) resultat ex superius insinuato pupillorum, & viduarum, aliarumque miserabilium personarum privilegio, super electione, vel variatione fori, *ead. tit. de iurisdic. disc. 72. & 80.* Sive quia partium conventio accedat eidemque privilegium electionis fori, tribuat, qualis præsertim obligationi cameræ inesse dicitur, vel consimili pacto, quod in aliis ditionibus adpici solet, ut si debitor in omni loco, Curia, & foro, ad creditoris electionem conveniri possit, aut quod privilegium Curialium ratione *Eugenianæ* id concedat, *ead. tit. de iurisdic. disc. 71. & 73.*

Contra apprehensos in Curia prætendi solet, ut ibidem causa, etiam in prima instantia, peragi valeat.

leat, quamvis aliàs foris incompetens esset, ex ea ratione, quod Roma communis patria sit. Id autem ita genericè sumptum, æquivoco laborat, cum solum recipiendum sit respectu eorum, cum quibus etiam hodie ipsa Roma, Metropolis figuram gerat, ut in jurisdictionalis materiæ sede advertitur, *cod. tit. disc. 89.* Et nihilominus, etiam isto casu, cum Episcopis ad liminum visitationem accedentibus, id practicandum non esse, specialiter statutum est, *cod. disc. 89.*

Super Cardinalium causis quandoque disputari contingit, an ille privativus forus Curia: Papæ, quem Auditor Camera exercet, in quo Cardinales conveniendi sunt, utpotè eorum favore inductus, cesset ipsimet recusantibus, ac petentibus juxta generalem juris regulam, remissionem causæ ad Ordinarium loci in prima instantia; Idque varias habet opiniones, neque adhuc firmiter determinatum videtur, *cod. tit. disc. 80.*

Idemque privilegium, privativè ad metropolitanos, & Patriarchas, per C. T. & Apostolicas constitutiones Episcopis attributum est, in illis causis criminalibus quæ eorum personas concernant, ut non nisi per commissionem manu Papæ signatam inquiri valeant, *lib. 14. Miscellan. Eccles. discurs. 1. & in Annot. ad S. Concil. Trident.*

Eadem item contentio, quæ inter plures Judices, vel foros ejusdem primæ instantiæ, super majori competentia, ut supra cedit, intrat quoque inter plures judices appellationis, quod scilicet quamvis data eorum pluralitate, electio sit appellantis, qui in hac parte Actoris personam gerere videtur, quamvis in reliquis retineat eandem Rei personam, quam in prima instantia gerebat; Adhuc tamen id intelligitur, dummodo serventur gradus vel media, quæ à jure statuta sunt, ob prohibitam appellacionem omisso medio, præterquam ad Papam, ad quem tanquam ordinarium ordinariorum, omisso medio appellari potest, *lib. 14. disc. 1. & in Annot. ad Concil. Trident. & de jurisd. disc. 69. & 72.*

Quando autem appellatio intret, ut à Judice unius instantiæ ad illum alterius causa transitum faciat, habetur infra agendo de materia appellacionis, *infra in eo disc. in quo agitur de appellacione.*

Altera super idoneo, & competenti judice, inspectio est circa eius recusabilitatem, quando scilicet ille, qui alias per tramites juris competens, ac legitimus esset, prohibeatur, ex juris dispositione, quam suspectus, in aliqua particulari causa judicare, vel quod recusari valeat; Idque præsertim contingit in Episcopis aliisque Prælatibus, quando agatur de causis eorum Ecclesiæ, vel mensæ; In hoc etenim variæ habentur opiniones, quoniam; Aliqui simpliciter affirmant, ut censeri debeat ex juris dispositione suspectus, atque incompetens tanquam in causa propria, in qua nemini judicare conceditur, ac propterea quod sententia, & quæcumque acta ex defectu jurisdictionis corruant, quamvis recusatio expressa non accedat; Alii verò è converso credunt, illum adeo competentem esse, ut sine legitima causa justificata (ut in iudiciis ordinariis requiritur) recusari non valeat, cum proprium, ac privatum interesse non sit, sed principaliter Ecclesiæ; Verùm tertia opinio distinguens probabilior est, pro causarum qualitate; Aut etenim agitur de illis causis, in quibus Ecclesiæ ejusque Prælatibus quoddam proprium, ac remotum interesse solum habeat, ut (E. G.) quædo ageretur de statu beneficii, vel alicujus Ecclesiæ, an sit de jure patronatus, vel liberæ collationis, cù similibus, & tunc rectè procedat secunda opinio;

aut causa concernit statum, ac interesse principale ipsius Ecclesiæ Cathedralis ejusque Episcopi; ut sunt causæ jurisdictionales, quas habent Episcopi cum Prælatibus inferioribus, super situatione alicujus loci in diocesi, vel super interpretatione aut operatione privilegiorum exemptivorum, aut inter duos Episcopos contententes de finibus diocesis, vel de maiori vicinitate alicui loco nullius jurisdictionibus, & prærogativis, quæ Episcopo viciniore competunt; sive etiam inter metropolitanum & illum, qui prætendatur suffraganeus, cum similibus, & tunc non sit Judex, juxta primam opinionem, cum in effectu sit pars interessata, ac veniat sub nomine Actoris, vel rei.

Aut verò agitur de causis super bonis vel juribus Ecclesiæ, cum omnimoda pertinentia ad ipsam Ecclesiæ absque aliqua participatione Episcopi vel Prælati, & sic extra illa bona, quæ sunt de mensa ipsius, ut in plerisque Ecclesiis contingit, habentibus peculium seu mensam distinctam à mensa Episcopi, pro fabrica, & ornamentis, aliisque expensis, & tunc procedat secunda opinio, ut sine causa non intret recusatio, aut demum agitur de bonis & juribus pertinentibus ad mensam ipsius Episcopi, vel Prælati; Et tunc sit quidem judex competens, adeo ut non accedente recusatione, rectè procedat, atque acta sint valida; Bene tamen possit recusari, quoniam licet principale, ac totale interesse non sit ipsius, sed Ecclesiæ, quæ verè est pars interessata, qualis propriè dicitur illa, cui causæ exitus bonus vel malus acquisitionem, vel amissionem rei controversæ causat; Attamen admixtum quoque est interesse proprium in fructibus, vel in commoditate, istudque interesse, non est quidem aptum ad tollendam jurisdictionem, ac faciendum ut dici mereatur pars interessata, quæ judicem agere prohibita est; Bene tamen facit ut reddatur recusabilis; Istamque opinionem sequitur, ac servat Romana Curia, *de jurisd. disc. 47. & 48.*

Dicta verò propositio, ut nemini concedatur judicare in causa propria, (ut superius, quoque innuatatum est) limitationem recipit in Papa, & in Regibus, aliisque supremis Principibus, quoniam judicant per magistratus, & Judices per eos ad id deputatos, unde propterea adest discretio inter judicem, & partem, cum istam repræsentet fiscus; Quinimò etiam in Episcopis, aliisque inferioribus datur hæc discretio, in quibus ipsamet Ecclesiæ, vel mensa sit pars interessata, quoniam Æconomus, vel promotor fiscalis, partes Actoris, vel Rei gerere dicitur; Unde propterea receptum habetur in materia iurispatronatus, vel in similibus causis etiam solum jurisdictionalibus, vel præminentialibus, quod sententia, aliaque acta ipsiusmet Episcopi vel Prælati corruunt, non citato, nec audito Promotore fiscali, cum ita iudicii partes essentielles deficere dicantur, super concursu trium personarum, Actoris, iudicis, & Rei, *sub tit. de jure patr. disc. 57. & 58. & sequ.*

Et sic, ubi de feudorum devolutionibus, vel caducitatibus, aliisque similibus controversiis agatur, in quibus Princeps dici valeat pars colligans, (quidquid variè desuper teneatur,) magis receptum est, ut coram suis iudicibus, & magistratibus fiscalibus, vel aliis ab eo deputatis, causæ cognoscendæ sint; Cum ea etiam specialitate, ut quamvis esset, Actor, trahat reum ad forum suum contra regulam iuris, ut Actor forum Rei sequi teneatur, *sub tit. de feud. disc. 1. 2. 3. 4. & seqq. & 55. & 56.*

Bene verum quod ubi agatur de supremo Principe.

61 cipe, nimium raro datur casus ut fiscus sit actor, quoniam ex quadam consuetudine, fiscus litigare non solet manibus vacuis; Ideoque frequentius Rei, ac possessoris partes gerere solet. *locis proxime citatis.*

62 Ac etiam, licet defensor mediatas vel necessarius, qui alicubi author laudatus appellari solet (ut supra quoque advertitur) non declinet forum ex privilegio proprio, cum attendi debeat persona possessoris ac immediati litigantis; At tamen cessat in fisco, qui etiam ratione mediatas interesse, causam ad proprium forum fiscale trahit. *ibidem. & alibi sapius.*

63 In reliquis autem concernentibus recusationem iudicis, alias competentis; Alia generalis regula statuenda non videtur, nisi illa, quæ resultat à distinctione inter iudicem ordinarium, & delegatum; Ac etiam in hoc genere delegati, inter delegatum particularem & generalem ad universitatem causarum, ut scilicet delegatus particularis, etiam sine causæ allegatione ac probatione recusari valeat re integra, & antequam legitima prorogatio sequuta sit; Ordinarius autem vel delegatus ad universitatem causarum, qui ordinarii quoque jure in hac parte censetur, non nisi ex iusta causa probata; Verum & in hoc, locorum styli deferendum venit, quoniam in Romana Curia, ex recepto stylo, etiam iudices ordinarii, re integra, & ante consensum in jurisdictionem sunt recusabiles, nulla probata, quin immo nec allegata causa.

64 In casibus verò, in quibus jam consensum fuerit in jurisdictionem iudicis, quamvis alias recusabilis; Non datur amplius recusandi facultas, quoniam declinanda non est illa jurisdictione, quæ semel validè probata sit; Nisi nova causa recusationis superveniat; Vel nisi recusatio per non habentem potestatem, seu ex alio defectu, infecta haberi mereatur. *Gregor. & add. decis. 292. Cels. decis. 110. num. 11. Ottob. dec. 245. num. 6.*

65 Unde propterea quæstiones, quæ in Curia, & præsertim in Signatura desuper audiri solent, hunc punctum percutiunt, an scilicet, & quando dicatur adesse consensus in jurisdictionem; Et præsertim, an ille resultet ex consueta protestatione, quam causidici adversus primas citationes facere solent, ut nihil fiat in causa, ipsis non citatis; Et quæ in Curia vulgo dicitur *protestatio nihil fieri &c.* Atque super hoc stylo in tribunali respectivè recepto deferendum videtur, cum desuper in jure nil statutum sit.

67 Nulli autem, vel nimium rari, in Curia Romana sunt casus, in quibus qualificati classici Advocati de hac materia recusationis iudicis ratione suspicionis disputent; Bene tamen, ac frequentè de causis declinationis, ratione incompetentiæ, quoniam laudabilis est mos, ut ipsimet iudices, quando ratione conjunctionis sanguinis intra gradus per Constitutiones Apostolicas præscriptos (ut in Auditoribus Rotæ, & Clericis Cameræ præsertim statutum est.) in Constitutionibus Pii IV. & Pauli V. super reformatione tribunalium voluntariè abstineant; Quinimò etiam in casibus dubiis, id agunt, ideoque non de facili dantur casus, ut de hoc contendatur; Atque licet in Cardinalibus ob eminentiam dignitatis non admittatur allegatio suspicionis & præsertim in causis ventibus in Sacris Congregationibus, quæ in forma extrajudiciali potius aguntur, attamen frequentius, voluntariè, ac libenter abstinent, quavis nolentes abstinere, repelli non possint; Atque

Card. de Luca de iudicis & judicialibus.

que præsertim quandoque praticari vidi in illis Cardinalibus, qui essent etiam Episcopi, intervenientes in Sac. Congregatione Episcoporum vel Concilii, in causis propriæ Ecclesiæ cum aliquo Prælato inferiori, vel cum alio super jurisdictione vel præeminentia, aliove jure, quod volentes, intervenerunt. *ita contigit præsertim in casu de quo sub tit. de jurisd. disc. 4.*

69 Super causis autem particularibus conjunctionis sanguinis, vel inimicitæ, sive interesse &c. ex quibus suspicio, vel recusandi facultas resultet; Certa regula statui non potest, cum totum pendeat ex singulorum casuum circumstantiis, ac etiam ex locorum particularibus legibus, vel styli; De illa verò recusationis causa in Curia agi solet præsertim in Sac. Congregatione Episcoporum, quæ resultet à gravamine, quod superior subdito intulerit, unde propterea adversus superiorem, subditus recursum habuerit ad Papam, vel ad Sac. Congregationem alioque superiores, litemque cum eo sustinuerit; Potissimè verò ubi aliqua eidem objecerit, quæ crimen sapiant, cum tunc, ex Sacrorum Canonum dispositione, generalis exemptio illius subditi concedi soleat, illum committendo alicui ordinario viciniori. *ad tex. in cap. ad hac primo de appellat. &c. proposuit eod. Aretin. cons. 29. n. 25. Capyc. dec. 147. ubi latè Massull. in add. San. felic. dec. 86. Verum & id neque certam regulam recipit, cuicumque casui applicabilem, cum ex Sacre Congregationis, vel Signaturæ arbitrio, variè pro facti qualitate, id praticari soleat, dum quandoque subditi, recursus & querelas indebitè, & calumniosè affectare solent, ut hanc exemptionem obtineant, ideoque meritò illa denegari solet, decernendo solum quandoque ut superior, inconsulta Sac. Congregatione, ad actus irretractabiles contra illum subditum non deveniat.*

71 Generaliter autem, posita legitima recusatione, ex ea manat effectus nullitatis iudicii, & actorum, quæ per iudicem recusatum gesta sint, post recusationem; Nisi accedat recessus ab ea per novum consensum in jurisdictionem, per quem recessum dicitur à recusatione. *apud Bar. att. dec. 388. apud Cels. dec. 110. & 118. & sequ. & alibi.*

72 Reassumendo item materiam competentis fori; Illa competentia, quæ ab origine, vel domicilio resultat, in iis causis procedit, quæ ipsi personam concernant, vel ea bona, quæ personam sequantur; Secus autem ubi de iis, quæ in alia Ditione existant, in quibus illa persona materialis, aliam omninò diversam personam formalem repræsentat, ratione ecclesiastica prælaturæ seu baroniæ, aut principatus &c. ut in jurisdictionali sede advertitur. *sub tit. de jurisd. disc. 90.*

73 Plures item in ista materia competentis fori quæstiones cadunt, quas omnes non facile est reassumere, neque (ut initio præmissum est) meæ sunt partes assumendi formales materiarum tractationes, sed tantum insinuare ea, quæ in praxi peragere occasio dedit; Alias autem studiosus perquirat, ut occasio præbebit.

Præsertim verò in Romana Curia quæstiones esse solent jurisdictionales fori ecclesiastici, quæ duplicis sunt speciei; Alia siquidem sunt circa jurisdictionem, vel competentiam activam; Et Alia circa competentiam passivam, id est circa exemptionem à foro illius, qui alias, exemptione cessante, esset competens.

Quatenus itaque pertinet ad primam speciem jurisdictionis, vel competentis activæ; quæ

B stiones

fiones cadere solent inter plures Prælatos, vel iudices ejusdem fori ecclesiastici, qui sint æquè habitualiter hujus jurisdictionis capaces, ad quem scilicet eorum spectet activa jurisdictione & cognitio causarum alicujus cleri, & populi in certo loco viventis, vel aliquarum personarum, puta inter Ordinarium loci seu diocesanum, & Prælaturam inferiorem qui aliquam prælaturam possideat; Atque ubi jurisdictione pendeat à territorio, sive à jure territoriali, quod tribuat competentiam originis, vel domicilii, seu loci delicti, vel contractus, aut rei sitæ, juxta regularem activam jurisdictionis naturam; Et tunc regula asistit Diocæsano, vel Ordinario habenti causam universalem in eoterritorio, ac intra ejus limites, donec ille, qui contendit de privativa, vel respectivè de cumulativa, doceat, vel de privilegio Apostolico, vel de immemorabili super territorio separato, sive de legitima præscriptione, dum hæc fundata est intentio illius, qui habet juris assistentiam in causa universalis ut in rerum jurisdictionalium annotationibus latius advertitur *sub tit. de jurisdic. disc. 1. cum pluribus seqq.*

Si verò jurisdictione prætendatur ab inferiori Prælato, non ratione territorii, sed ratione jurisdictionis in personis, vel in certo genere causarum; Et tunc id pendet à privilegio, vel à præscriptione, sive (his positis) à qualitate personæ, vel causæ, an scilicet cadat sub ea delegatione; Ut præsertim frequenter disputati contingit inter locorum Ordinarios, & Nuntios, vel Collectores, aliosque Commissarios, & officiales Apostolicos; Et præsertim frequentius cum conservatoribus privilegiorum regularium. *sub tit. de jurisdic. disc. 49. & de Regular. disc. 51. & 52.*

Idemque cum sua proportionem contingit in foro sæculari inter Barones, eorumque officiales, aliosque ordinarios locorum gubernatores, & iudices, cum delegatis, & commissariis Principis ad certum genus causarum, vel personarum; Ut contingit in iudiciis particularibus artium, & collegiorum, vel universitatum, unde intrat quæstio, an jurisdictione particularis intelligatur data, cumulativè, vel privativè, atque juxta primam partem est regula. *dicto tit. de jurisdic. disc. 85.*

Quo verò ad aliam speciem jurisdictionis, vel competentie passivæ; De ista frequentius agitur inter locorum Ordinarios, & exemptos, præsertim regulares, qui sive directè, ac immediate, sive per communicationem, generaliter ab Ordinario locorum exempti sunt, eorumque regularibus Prælati subiecti; Adhuc tamen multi dantur casus, in regularium, ac jurisdictionalium sedibus recensitis, in quibus, exemptione non obstante, loci Diocæsano, vel Ordinario, ex ordinaria, vel delegata jurisdictione subjacent, ideoque illorum est iudex competens non recusabilis; Quasi quod limitationes regulæ generalis exemptivæ, quandam operentur restitutionem seu reviviscenciam antiquæ nativæ jurisdictionis, quam generaliter loci Ordinarius cum regularibus habebat, eo modo quo reliquo clero, & populo. *dicto tit. de jurisdic. disc. 1. & seqq. & disc. 28. cum plur. seqq.* Et ex qua ratione, etiam in casibus non limitatis, in quibus dicta regula generalis exemptiva intret, jus reverentiale eidem Ordinario debetur, illudque non est denegandum, quoniam adhuc durat. *Eod. tit. de jurisdic. d. 31. & 35.* Inter eosdem Ordinarios, ipsosque diocæsa-

nos non exemptos de sibi commissio clero, & populo, competentie quæstiones in cognitione causarum oriri solent, ratione loci; Quia nempe subditi, non impugnant superioris potestatem, prætendant tamen ejus exercitium ad certum locum esse restrictum, ipsosque non posse extra proprios lares trahi; Regulariter autem, injusta, parumque fundata est hæc præsentio, quoniam universa diocæsis, unicum constituit territorium, ideoque in qualibet ejus parte, Episcopus, vel alter Prælatus jus dicere, ac tribunal erigere, subditosque evocare potest; Idque ad instar, cessantibus legibus, vel styliis particularibus de Præsidibus provinciarum aliisque laicis magistratibus quoque dicendum est; Nisi itineris asperitas, magnaque loci distantia, & causarum qualitas, aliæque circumstantiæ suadeant, ut hoc arbitrium congruam moderationem recipere debeat, pro iudicis particularis deputatione in loco *eod. tit. de jurisdic. disc. 22. cum seqq.*

Cum non subditi quoque jurisdictione in plebisque casibus acquirunt, & quandoque etiam ad proprium superiorem privativè; Puta ratione loci delicti, ut supra advertitur, sive ratione turbata; Vel offensæ jurisdictionis, aut offensarum aurium, cum similibus. *eod. tit. de jurisdic. disc. 57.*

Ac etiam datur casus, ut superior, vel dignior, subditi, vel minus digno subiaceat, ratione Ecclesiæ, vel rei, quam privato jure ibi possideat, cum ibi tanquam privatus consideretur, licet id obtineat non ex persona propria, sed ratione prælaturæ. *eod. tit. disc. 21.*

Cum clerico in minoribus qui per dimissionem clericatus laicus se declaravit, Ordinarius, priorem retinet competentiam, quando criminis jam patrati ratio suadeat; Vel quod dimissio legitime, ut decet facta non sit. *eod. tit. de jurisdic. disc. 55.*

Super competentia iudicis laici cum clericis conjugatis, cadunt quæstiones cum certis distinctionibus decidendæ. *eod. tit. disc. 55.* Sive cum laicis ministris, vel familiaribus Episcopi, vel Cardinalis. *eod. tit. disc. 67.* Atque ut supra, quandoque cum clerico calib, qui ab ipsius laici manibus aliquid habuerit, vel ratione reconventionis juxta varios stylos. *eod. tit. disc. 58. & 94.*

Prout etiam cum aliquarum ecclesiasticarum, vel piarum militiarum; Vel pii instituti Aut societatis professoribus; Sive cum illis, personis sæcularibus quæ in aliqua pia, seu religiosa domo vivant, super quorum competentia inter laicos, & ecclesiasticos iudices, quæstio est in jurisdictionali in materia peracta. *eod. tit. disc. 92. & de Regular. disc. 50.*

Militaris fori privilegiati quæstiones cadere solent, quando scilicet intret privilegium. *eod. tit. disc. 78.* Sive an hæres alias non subditus foro defuncti ligetur. *disc. 75. & 86. eod. tit. de jurisdic.* Aut quando rei sitæ foris absque personali residentia, & apprehensione sufficiat. *eod. disc. 75. & 86.*

Atque ubi hæreditas, vel alia bonorum universitas in diversis territoriis, bona, vel membra habeat, majoris competentie quæstiones cadunt super delatione hæreditatis, vel fideicommissi, aut legatorum, inter plures contententes. *eod. tit. disc. 87.*

De privilegio superius insinuato electionis, ac variationis fori, quod per legem conceditur viduis, ac pupillis, aliisque miserabilibus personis. *eod. tit. disc. 69. 72. & 80.* non multum frequen-

quenter in gravibus causis civilibus prophanis, vel ecclesiasticis in Curia agi solet, cum in causis criminalibus frequentius de illo disputari contingat; Experientia verò me docuit quod illud, calumniarum, ac subterfugiorum potius fomentum sit, ac justitiæ præjudiciale; Illudque de facili certam non recipit regulam, cum pro tribunali, ac ditionum stylis, diversa esse soleat praxis; Occasione autem alicujus causæ criminalis civiliter super expensarum refectione, disputare occasio dedit, an scilicet privilegiatus ad eam teneatur quando foro electo, postmodum illud variat. *infra in eo disc. in quo agitur de expensarum refectione.*

90
91
92
93
94
95
96
Causarum beneficialium non omnes Romanæ curiæ iudices, quamvis Ordinarii, cognitionem habent, illorum etenim beneficiorum, quæ summam viginti quatuor ducatorum valorem excedant, causæ Rotæ committuntur; Aliorum verò, quæ dictam summam non excedant, Prælati per speciales commissiones committuntur; Ideoque licet A. C. causarum fori ecclesiastici cognitionem quoque habeat, atque sit literarum Apostolicarum generalis exequutor; Et præsertim causæ pensionum ecclesiasticarum coram eo agi soleant; Ac etiam illæ, quæ concernunt Apostolicarum literarum executionem pro ipsorum beneficiorum possessione assequenda; In causis tamen verè beneficialibus, quæ discutuntur tales ubi de ritulo beneficii sit quæstio, non est competens, neque jurisdictionem habet adeo ut nulliter procedere dicatur. *eod. tit. de jurisd. disc. 84. Et in ejus supplemento.* Et etiam in causis matrimonialibus earum jurisdictione, vel competentia dubia est.

Non solet autem Romana Curia praticare, ut iudices, coram quibus de fori declinatoria opponatur, se ipsos positivè competentes, cum decreto declarent, sed implicite id agunt, per processum ad ulteriora, denegando moderationem inhibitionis per eos alias concessæ, vel eam reintegrando, si alias moderata fuerit cum decreto remissionis causæ ad alium; Ideoque tribunal Signaturæ hujusmodi quæstiones, frequentius disputat, ac decidit.

De aliis autem, quæ iudicis, vel fori competentiam concernunt inferius de singulis judiciis agendo, incidenter agi contingit; Et præsertim ubi diversitas iudicii non variet iudicem, vel forum, puta quia licet causa possessorii diversa sit à causa petitorii, adhuc tamen idem est forus, vel iudex, qui non diversificatur, cum similibus.

Item in ista materia jurisdictionis, habitualis potius, quam actualis, super potestate creandi iudices, & magistratus, & gratiandi de delictis, & an jurisdictione sit feudalis vel allodialis, sub feudorum, ac Regalium sedibus aliqua insinuantur; Verum id hanc materiam non percutit, in qua de iudice tertiam personam efformante, quæ in iudicio necessaria est, agitur; Et de aliis quibus ad materiam recusationis ex capite suspensionis habetur, disc. sequ. agendo de Assessore.

Atque in eodem, disc. sequ. habetur quando iudex dicatur literatus, vel illiteratus; Et an iudicare possit sine Assessore; Ac etiam quomodo votum Assessoris sequi debeat.

De Assessore, seu Consultore.

S V M M A R I V M

1. De assessore, & aliis qui ad integritatem iudicii requiruntur.

Card. de Luca de iudicis & judicialibus.

2. Imperitus potest esse iudex.
3. Quæ sint partes iudicis.
4. Tenetur tamen imperitus habere assessorem.
5. De vocabulis cum quibus assessor explicari solet.
6. Dux sunt species assessoris necessarii & voluntarii.
7. Assessor necessarius, & fixus non potest recusari sine causa ut potest alter.
8. An possit quis esse assessor vel iudex in patria.
9. Datur etiam assessor, vel consultor iudici perito & quando dantur exempla.
10. An iudex teneatur sequi votum seu consilium assessoris.
11. De eodem ut iudex debeat proferre sententiam juxta votum, quod declaratur.
12. An in deputatione assessoris sequatur partium citatio, distinguitur.
13. De recusatione assessorum & iudicum in Curia etiam sine causa.
14. De eodem de quo numer. 9. ut etiam iudici literato detur assessor.
15. Quando non admittatur assessorum vel iudicum recusatio.
16. De recusatione peritorum in arte.
17. De cautela ut occurratur calūniis circa recusationem.
18. An sit necessaria citatio partium ad informandum assessorem.
19. An à voto assessoris liceat appellare.
20. Quomodo in Curia tradantur vota.
21. An culpa in iudicando sit iudicis, vel assessoris.
22. Quis dicatur literatus, vel illiteratus.
23. De doctoratu necessario, ut dicatur literatus, & qualis species requiratur.
24. Iudex synodalis dicitur idoneus.
25. Deputato uno consultore non deputatur alter.
26. De obligatione assessoris quod infra certum tempus debeat proferre votum.

DISC. IV.

Quamvis essentielles partes iudicii consistat in tribus jam enunciatis præcisè necessariis personis, Actoris, Rei, & Iudicis, sine quibus, non datur iudicium validum, ac perfectum. Adhuc tamen; vel ex iudicis qualitate; vel ex communi usu; Aliæ personæ, si non essentielles, saltim integrales ad iudicium perfectum concludendum interveniunt, ut potè de iudicii appendiciis reputari solitæ; Ut sunt Assessor, Notarius, & Procurator cujuslibet partis, seu Actor vel Curator, aut alter defensor pro qualitate personæ.

Quatenus itaque pertinet ad Assessorem, cum de jure non prohibeatur legum imperitis magistratum gerere, atque iudicis munus obtinere. *certi juris C. de iudic. cum ibi notat. incongruum,* tamen sit, ut imperito non benè per tramites juris discernenti iustum ab injusto, iudicandi facultas tribuatur, cum in hoc iudicis partes consistant, gerendi scilicet ministerium justitiæ præcipientis, ut unicuique, quod suum est tribuatur, idque sine legum peritia, non benè praticari valeat.

Hinc proinde provisum est, ut idem iudex in hoc sibi assumat adiutorem, cui legaliter, ac iuridice, Assessoris vocabulum, seu nomen tribuitur, quamvis pro variis stylis alia diversa vocabula sibi tribuantur; Puta, Consultoris, vel Auditoris, vel Consiliarii, sive etiam iudicis, ex eo quod Magistratui, Gubernatori, vel Correctori, seu Præsidis nomen congruat; Vis etenim non est in verbis, vel in vocabulis, sed in substantia, ut scilicet imperitus iudex, vel Magistratus, illam habitualement iudicandi facultatem, quam officii ratione obtinet, ad exercitium non deducat, nisi cum iudicio periti, quoque alias nulli-